

**VI. <sup>a</sup>LITTERAE OCCLUSIONIS ITINERIS IN SLESIAM ET HUNGARIAM<sup>a</sup>**

Sigismundus Dei gratia etc. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis ac reverendis in Christo patribus dominis archiepiscopis, episcopis necnon magnificis, generosis, nobilibus et famatis, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis civitatum et oppidorum nostrorum, ac quorumeunque subditorum nostrorum, proconsulibus, consulibus, communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris cuiuscumque ordinis, gradus et conditionis existentibus, ad quos praesentes nostrarae litterae pervenerint et infrascriptum edictum nostrum perlatum fuerit, sincere fidelibus et grate nobis dilectis. Cum ita et publica regni nostri commoditas exigere visa est et senatores totusque ordo equestris id a nobis summis precibus per nuntios suos contendissent, ut ad evitandas magnas insecuritates, iniurias et depraedationes, in quas subditi nostri ab incolis regni Hungariae et ducatus Slesie annis proximis incurrerunt et usque adhuc eas sustinere coguntur, educendi et exportandi quasvis e regno nostro in Slesiam et Hungariam res et merces subditis nostris facultatem interdicemus interdictoque hoc sive edicto nostro iter omnibus subditis nostris in Slesiam et Hungariam cum mercibus occluderemus, fecimus non inviti praesertim ex plurimis et gravibus causis, ut hasce litteras et dicta mandataque nostra conscribi iuberemus. Atque ideo vobis omnibus suprascriptis strictissime<sup>b</sup> mandamus, ut occlusionem et prohibitionem hanc et mandata nostra servetis, incipiendo a die festo sancti Stanislai episcopi et martiris proxime venturi, quae erit octava die mensis Maii, usque ad expressam nostram revocationem et relaxationem huius dicti, quae fieri non debet nisi in conventu generali et de voluntate ac consensu senatus regni et nuntiorum terrestrium. Ita videlicet, quod nemo audeat in Hungariam et Slesiam res et merces aliquas tam grandes quam parvas cuiuscumque qualitatis fuerint, praeterque sal nostrum regium educere et inferre, sed nec ad alias quoque remotores partes easdem res et merces per ipsam Slesiam et Hungariam ducere cum ammissione ipsarum rerum et mercium, quas contra praesentem inhibitionem nostram de regno nostro duxerit, liberum autem esse debet mercatoribus aliisque hominibus ex Slesia et Hungaria et ex aliis extraneis partibus quibuscumque ad civitates et oppida regni nostri, ad ea videlicet, ad quae ab antiquo ire consueverunt cum rebus et mercibus suis quibuscumque venire et ibidem emere aut vendere resque et negotiations suas ac alias actiones licitas cum nostris subditis exercere et contra e regno libere cum bobus, rebus et mercibus solutiis datisi et teloneis debitisi ac consuetis exire. Subditis vero nostris licebit ad alias provincias et regna, praeterquam ad Slesiam et Hungariam res et merces quascumque de regno nostro transmittere et ducere, dummodo per ipsam Slesiam et Hungariam illas non transmittant nec duci aut vehi faciant. Et quia suspicamur fore nonnullos, qui hanc prohibitionem et occlusionem viae in Slesiam et Hungariam in contemptum decretorum et mandatorum nostrorum et in pessimum inobedientiae exemplum transgredi non verebuntur, statuimus cum universis consiliariis et terrarum nuntiis in generali conventu Piotrkouensi proxime praeterito congregatis quod quicunque compertus fuerit, qui eandem prohibitionem nostram transgressus esset aut etiam cum pecunia parata negotiandi causa in Slesiam vel Hungariam se contulisset, poena carceris unius anni et ammissionis pecuniae et rerum, quas portaverit, puniatur. Qui vero in transgrediendo deprehensus non fuerit, sed vel furtim vel conniventia capitaneorum transgressus et dehinc domum reversus, si testibus idoneis convictus fuerit eam transgressionem commisisse, is poenam amissionis bonorum suorum omnium luat. Si autem quispiam capitaneorum permiserit aliquem contra prohibitionem nostram in Slesiam et Hungariam transire cum scitu et voluntate sua, talis capitaneus suo officio privari et alia, quae nobis digna videbuntur, animadversione puniri debebit. Si vero quispiam capitaneus fuerit, qui bona nostra habuerit oppignorata, perdere debet absque ulla spae veniae summas omnes pecuniarum quas in ipsis bonis nostris habuerit inscriptas. Eademque bona ipso facto ad nos devolvi debebunt. Quod si burgrabius, vicecapitaneus aut notarius capitanei modo supradicto excesserit et idoneo testimonio convictus fuerit, quod aliquem contra prohibitionem nostram in Slesiam et Hungariam transire permisisset quovis colore vel practextu, illum eius dominus vel

<sup>a-a</sup> W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 19047, s. 83 tytuł ten brzmi: Litterae universales regiae, quibus subditis regni iter cum rebus et mercibus in Slesiam et Hungariam interdicitur. <sup>b</sup> scrittissime MK2.

evincere vel ad poenam carceris unius anni in fundo turris nobis extradere debebit atque hinc constitutioni nostrae et decreto universi homines tam nostri quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium subiacebunt nec quisquam exemptus esse debet. Proinde vobis locorum capitaneis ac proconsulibus et consulibus civitatum et oppidorum severe praecipimus, ut hanc nostram constitutionem ac edictum, ubique in omnibus locis publicis, ad quod homines frequenter convenire solent, denuntiari et proclaimari faciatis, ne aliquis ignorantiam praetendens aliquid contra eandem constitutionem nostram committat et poenas suprascriptas incurrat. Vos vero capitanei in pervestigandis et custodiendis locis omnibus ac itineribus, ne quis eadem prohibitionem nostram transgrediat, curam et diligentiam omnem adhibeatis et quoscumque offenderitis vel deprehenderitis in minima quaque re contra hanc prohibitionem nostram excesisse illius res et ipsummet<sup>c</sup> capiat, et usque ad instructionem et documentum nostrum detineatis sub poenis contra capitaneos et officiales negligentes statutis et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum in conventione generali Piotrkouensi feria quinta ante dominicam Invocavit, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo [7 III 1538], regni vero nostri anno trigesimo secundo. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

#### VII. LITTERAE UNIVERSALES REGIAE SUPER RECEPTIONE ET EVALUATIONE MONETAES POLONICAE ET LITHUANICAE

Sigismundus etc. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis ac reverendis in Christo patribus dominis archiepiscopis, episcopis necnon magnificis, generosis, nobilibus et famatis, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis civitatum et oppidorum nostrorum ac quorumcunque subditorum nostrorum proconsulibus, consulibus, communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris cuiuscumque ordinis, gradus et conditionis existentes, ad quos praesentes litterae nostrae pervenerint et infra edictum nostrum perlatum fuerit, sincere fidelibus et grate nobis dilectis, gratiam nostram regiam. Sincere fideles et grate nobis dilecti. Cum proxime superioribus annis in Magni Ducatu nostro Litwaniae ageremus, magne fuerunt difficultates et dissensiones inter subditos et aulicos nostros Regni Poloniae et similiter subditos Magni Ducatus Litwaniae idque occasione receptionis monetarum Polonicae. Nos vero obviam eentes huiusmodi difficultatibus et dissensionibus volentesque in hoc commoditatibus utriusque dominii subditorum propicere de consensu et voluntate consiliariorum Magni Ducatus Litwaniae utramque monetam probari gradatim iussimus et comperimus, quod quattuor grossis Litwanici constarent grossos Polonicos quinque. Atque ideo tum e vestigio consentientibus, ut diximus. Consiliariis illius Magni Ducatus iussimus utramque monetam per Magnum Ducatum praedictum passim recipiendum videlicet quinque grossos Polonicos pro quattuor grossis Litwanicis, pro octo grossis Litwanicis decem Polonicos et sic in infinitum numerum. Ea tamen conditione id facere nobis tunc temporis licuit ut vicissim in Regno Poloniae moneta Litwana pro Polonica sub ea aestimatione et valore reciperetur, grossi videlicet quattuor Litwanae pro quinque Polonicis. Quod quidem posteaquam in eo conventu coram universo senatu et nuntiis terrarum exposuimus et declaravimus, placuisse universo conventui idque de eiusdem conventus consensu et voluntate sancibus atque etiam edicimus, ut pariter moneta Litwana in universo regno nostro prorsus reciperetur, hoc est quattuor grossis Litwanici numerentur pro quinque Polonicis et ita usque ad summam quantumvis ingentem vel exiguum servari et teneri debeant. Quo circa vobis locorum capitaneis ac illorum vicecapitaneis committimus praesentibus et mandamus quatinus hoc edictum nostrum per loca, civitates et oppida ac apud parochiales ecclesias diebus festis ac fororum atque nundinum per publicas proclamationes ad scientiam et notitiam universorum denuntiari. Exemplaque seu copias huius edicti nostri ad valvas ecclesiarum et portas praetoriorum affigi faciatis, ne fortassis quispiam praetendat de hoc edicto nostro se ignorantiam habere. Aliter igitur facere non debeatis sub poenis contra negligentes capitaneos statutis et pro gratia nostra. Datum Piotrkouie in conventione generali feria quinta ante dominicam Invocavit,

<sup>c</sup> ipsummet MK<sub>2</sub>.